

magna pars historiae politico-religiosae hujus terrae ejusque diversarum regionum explicatur.<sup>3</sup> Regnum etenim croaticum initio inter Orientem et Occidentem haerebat, donec definitive influxus occidentalis culturae praevaluerit, cuius vestigia dehinc in tota organizatione juridica Status et cultura sociali populi deprehenditur.<sup>4</sup> Quia ad Europam quoque medium apertum erat, etiam sors ejus inde a saeculo XI coniuncta remanet cum corona s. Stephani-regni Hungariae.<sup>5</sup> Partes autem ad Adriaticum mare vergentes et litus maritimum semper obnoxiae erant rivalitati, immo, magnis temporis intervallis, etiam dominationi rei publicae Venetiarum.<sup>6</sup> Partes vero orientales regni, Bosna scilicet et Zachlumia (Hercegovina), quia proprie in confinio et limitibus orientalis culturae, Statuum et religionum ex una parte et ex altera occidentalibus (ut pars regni croatici) sitae erant, influxum et dominium ex alterutra parte diversis temporibus experiebantur. Sed et ipsa Bosna cum Hercegovina ex parte sua, tempore quo sub propriis ducibus et regibus independens effecta, quasi naturaliter invadebat terras regni Serborum et alias regiones croaticas.<sup>7</sup> Haec sors rivalitatis vicinorum Statuum pro Bosnae et Her-

<sup>3</sup> Rački F., Bogomili i Patareni, in Rad J. A., VII (1869), 125 (Hoc opus denuo immutatum edidit Srpska Kraljevska Akademija a. 1931); Klaić, o. c. 16.

<sup>4</sup> Šišić, o. c. 358 ss. 681 ss.

<sup>5</sup> Šišić F., Priručnik izvora hrvatske historije (Enchiridion fontium historiae croaticae), Zagreb 1914, 461 ss. Anno 1102 inter regnum Hungariae et regnum Croatiae facta est unio personalis, ubi a parte Croatorum rex Hungariae Colomanus agnitus est etiam pro rege Croatiae. Ex hoc tempore usque ad a. 1918 regnum et populus croaticus diversis relationibus cum populo hungarico ligatur. Idem, Pregled povijesti hrvatskoga naroda, Zagreb 1920, 135 ss.

<sup>6</sup> Anno 1409 rex Ladislaus, rivalis regis Sigismundi pro corona S. Stephani Hungariae, non potens coronam obtainere omnia jura sua qua regis Hungariae in Dalmatiam Venetis pro 100.000 ducatorum vendidit (Klaić V., Povijest Hrvata, svezak drugi, dio prvi, Zagreb 1900, 338). Post hoc tempus res publica Venetiarum sequentibus saeculis gradatim insulas et territorium maritimum occupat atque usque ad a. 1797 tenet. Cfr. de hac progressiva occupatione et nominis Dalmatiae in interiores partes terrae dilatatione Šrkulj S., Hrvatska povijest u devetnaest karata, Zagreb 1937, 67—68.

<sup>7</sup> Klaić, Poviest Bosne, 43; Rački, o. c. 125—126.